



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Epistola LXVI. Leonis Papae I. Ad Evdociam Avgvstam. Agit cum ea, vt  
Palaestinorum monachorum mentes haeretica prauitate pollutas, curet  
emundari, & si aliquid perfecerit certior fieri cupit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

quid autem de hac re diligentius inuestigare solicitude vestra potuerit, cito ad notitiam meam gloriosissimus imperator iubeat peruenire: quia & ad ipsius & ad omnium salutem pertinet, ut Dei cultus nullo errore lœdatur. Data sextodecimo Kalendas Iulii, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA LXVI.  
LEONIS PAPÆ I.  
AD EUDOCIAM AVGVSTAM.

Agit cum ea, ut Palæstinorum monachorum mentes hæretica prauitate pollutas, curet emundari, & si aliquid perfecerit certior fieri cupit.

*Leo episcopus, Eudociae Augustæ.*

**Q**VANTA mihi catholicæ cura sit fidei, & qua sollicitudine, in quantum Dominus adiuuat, debeat præcaverti, ne vñquam ab imperitis & impiis veritatis euangelio resistatur, pietatem vestram scire non dubito. Et ideo cum salutationis officio, quo semper mihi est vestra orāda clementia, obsecro Dominū, ut me tuam incolumitatem in causa fidei, in qua quorundam intra prouinciam Palæstinam monachorum fuerant corda turbata, magis magisque faciat adiuuare, ut tantum, quod pietatis tuæ studio fieri potest, hæreticæ peruersitati omnis fiducia subtrahatur. Quos enim nec ratio sacramentorum, nec autoritas scriptorum, nec ipsa sacratorum locorum testimonia commouebant, quid eis nisi abruptum periculum timeretur? Profit ergo ecclesiis, sicut (fauente Deo) & prodest, & profit generi humano, in verbis Dei vestram ibi esse voluntatem, vbi Dominum nostrum Iesum Christum vobis sicut verum Deum, & verum quoque hominem, in vnitate personæ, & mirabilium indicia, & passionum documenta, loquuntur. Si ergo prædicti nomen catholicum venerantur & diligunt, & inter Domini corpus se volunt membra nominari, prauos errores, quos temere admiserant, detestentur, & agant pœnitentiam impiorum blasphemiarum, cruentorumque factorum. Succumbant pro salute animarum suarum synodalibus, quæ

in ciuitate Calchedonensi sunt confirmata, Decretis. Et quia ad intelligendum sacramentum salutis humanæ, nisi fides vera, & humilitas quieta non peruenit, credant in euangeliō, quod confitentur in symbolo, nec impiis dogmatibus misceantur. Fides enim catholica sicut damnat Nestorium, qui in vno Domino nostro Iesu Christo duas ausus est prædicare personas, ita damnat etiam Eutychen cum Dioscoro, quod ab vnigenito Deo Verbo negat in vtero Virginis matris veritatem carnis humanæ suscep-tam. Si quid autem erga prædictorum conuer-sionem exhortatio vestra profecerit, quod gloriam vobis præsta-bit æternam, peto hoc mihi clementiæ vestræ literis indi-cetis, vt & in vobis boni operis fructum, \* & illis gaudeam <sup>\* & in</sup> misericordiam Domini non periisse. Data septimo Kalen-das Iulii, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA LXVII.  
LEONIS PAPÆ I.  
AD IVLIANVM EPISCOPVM COENSEM.

Vult de statu fidei admoneri, & Canones obseruari.

*Leo episcopus, Iuliano Coensi episcopo.*

**F**REVENTISSIME \* dilectionem tuam ad hanc cu-  
ram & diligentiam meis sum literis exhortatus, vt de his, quæ circa fidem aguntur, solicitudinem meam indefi-nenter instrueres. Et cum omnibus occasionibus scribere non quiescam, quibusdam tamen scriptis meis, id est, per filium nostrum Rodanum, domesticum filii nostri viri illustrissimi Asparatii datis, nullum responsum tuæ frater-nitatis accepi: tamquam ratio temporis non habuerit, vt quid post mea scripta sit gestum, potueris indicare. Et ideo per filium meum Rodanum his literis te saluto: & vt opportunitatem scribendi non negligas, in quo quæstus solicitudinis meæ releuatur, admoneo. Cum enim in te quamdam mei Constantinopolitani habeant portionem, dignum pro communi amicitia est, & pro totius ecclesiæ dilectione, incessabili te vigore prospicere: ne quid possit de statu fidei me latere. Quæ ergo per prædictos, vel ad glorio-